

1220.

[m. 1.]

et terras vestras vastando et destruendo, et predas abducendo. Unde ut audivimus nos vocavit auctorem. Et ideo vobis mandamus quod dicto domino vestro comiti W. Marescallo in omnibus sitis intendentes, sicut prius eratis antequam prefatus Leulinus terram suam ultimo ingrederetur, non obstante conventionem quam cum eo fecistis remanendi in manu nostra et in custodia ipsius Leulini quousque aliud a nobis susciperetis mandatum. Nec eidem Leulino respondeatis de centum libris de tensesia, quas ei solvere conventionastis infra octabas Omnium Sanctorum proximo instantes, nisi nos vos inde acquietare vellemus. Mandamus etiam vobis quod eidem domino vestro sitis viriliter in auxilium ad reparandum castra sua de Nereberd et de Wiz, que prefatus Leulinus prosterni fecit, non obstante conventionem cum eo facta, quod nullatenus repararentur nisi de assensu et voluntate nostra. Et in hujus rei testimonium etc. Teste ut supra, anno eodem. Per eundem et consilium domini regis.

*De fuga perdonata.* Rex omnibus baillivis et fidelibus suis ad quos presentes littere pervenerint, salutem. Sciatis nos perdonasse Johanni de Neweham fugam quam fecit et utlageriam in eum promulgatam pro appello, unde Matildis de Mara eum appellavit de raptu, et volumus quod firmam pacem nostram inde habeat. Ita tamen quod stet recto si prefata Matildis erga eum inde loqui voluerit. Et in hujus etc. Teste H. etc. apud Westmonasterium, ut supra, anno regni nostri iiij. Durent autem littere iste usque ad etatem nostram. Teste eodem.

*De protectione.* Willelmus Foliot, nepos Londoniensis episcopi, qui de licencia et voluntate domini regis recessit de partibus Anglie usque ad partes Normannie, habet litteras de protectione, duraturas a Pascha quod erit anno regni domini H. regis quinto, usque in duos annos completos. Teste H. etc. apud Westmonasterium, v die Octobris, anno etc. iiij. Per eundem et episcopum Wintoniensem, ad instantiam ipsius Londoniensis episcopi.

*De consimili.* Dominus rex suscepit in protectionem et defensionem suam homines Dublinie, cum mercandis, rebus et possessionibus suis, et habent litteras de protectione, duraturas a Pascha quod erit anno regni domini H. regis quinto, usque in duos annos completos. Teste domino P. Wintoniensi episcopo, apud Westmonasterium, vj die Octobris, anno etc. iiij. Per eundem.

*Pictavia.* Mandatum est H. de Lezinan quod veniat ad dominum regem in Angliam, et adducat secum sororem domini regis, et si eam secum ducere non poterit, tunc liberet eam in villa Rupelle Johanni Russel, Radulfo Gernun, et Godefrido de Craucumb, vel duobus ex illis, si ipsi tres simul esse non possunt. Teste ut supra.